...laus.

Bieżanowski Stanisław Jos: Favus theologicus benignitatis et misericordiae Divinae nectar distillans.

# FAVVS THEOLOGICVS

Benignitatis, & misericordiæ Diuinæ nectar dulcissimum, ex ineffabili Dominicæ Incarnationis Mysterio

DISTILLANS,

*QVEM*

In ore disertissimo,

*Clarissimi, & Admodùm Reuerendi Domini,*

M. NICOLAI SVLIKOWSKI,

Collegæ Maioris, Sacræ Theologiæ Sententiarij, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Canonici, Contubernij ZIZYNIANI Prouisoris,

*DVM*

Sub Felicissimis Auspicijs,

*Magnifici, Clarissimi, & Excellentissimi Domini,*

D.M. FRANCISCI ROLINSKI,

Philosophiæ, & Medicinæ Doctoris, & Professoris, eiusdemq; Clarissimæ Facultatis Decani, Consulis Crac: Almæ Vniuersitatis Crac: studij Generalis, RECTORIS Vigilantissimi,

Auspicatissimo omine, Magistri Sententiarum tractatum de Incarnatione aggressurus, Quæstionem Theologicam, de merito effectu gratiæ cooperantis publicæ disputationi proponeret,

Applaudens Musa,

*M. STANISLAI, IOSEPHI BIEZANOWSKI Leopol. Philosophiæ in Almâ Academiâ Cracouiensi Doctoris,*

CONSPEXIT,

*ET*

Cùm votiuo Applausu, debitique cultûs contestatione, luci publicæ

CONSECRAVIT

Anno Domini MDCLVIII. Die 17. Mensis Iunij.

CRACOVIÆ.
Apud Viduam Lucæ Kupisz, S. R. M. Typogr. 1658.

# Clarissime, & Admodùm Reuerende Domine,

## Sacræ Theologiæ Sententiarie.

INter auspicatissima altioris in Sacra Theologicâ facultate Professionis Tuæ initia, formosissimo hoc anni tempore, laboriosas solertissimarum apum, ex odoratis flosculis collectas sisto Tibi primitias; Theologicum nempè Sacri mellificij fauum. Attonuit credo nonnihil accurratam grauissimi Iudicij TVI censuram, insolita hæc exigui, planeq; villani muneris oblatio, & quid sibi velit in Amplissimo hoc Eruditorum Virorum consessu, simplex istud odoratæ dulcedinis condimentum, eâ, quâ polles, excellentis ingenij TVI, præstantiâ, vt inquiris. At non diu laborandum TIBI erit in animi mei proposito penitius investigando. Patent candida Academicorum pectora, nec est in eis, quod Meridianâ Diogenis lucernâ scrutetur. Nam si nouam istam, in Sacrâ Theologicâ Facultate dignitatis TVÆ accessionem perpendas, inuenies profectò, nihil conuenientiùs ineffabili Dominicæ Incarnationis mysterio, (quod TV ex Magistro Sententiarum publicè pertractandum suscipis) attribui posse, quam fauum, benignitatis, & misericordiæ Diuinæ nectar dulcissimum distillantem; cùm nullum sit aliud fidei nostræ mysterium, quod nobis maiores immensæ bonitatis diuinæ diuitias paritèr ostendat, atq; delicias, clamante ipsâ Patris æterni sapientiâ: Deliciæ meæ esse cùm filijs hominum; nullum quod nos magis ad amandum inuisibilem DEVM, visibili carnis nostræ conformitate alliciat; quodq; magis fauo, vniuersæ dulcedinis compendio possit comparari. At nec disertissimi oris TVI dulcedo, quidquam aliud sibi præter fauum, Suadæ symbolon aptissimum, postulare videbatur. Quid enim facundissimo eloquio TVO cultiùs? quid ad persuadendum efficacius? ad permouendum vehementius, ad lucrandas DEO animas felicius? Sensit hoc, & approbauit post NOVODVORSCIANAM, & Ordinariam Eloquentiæ Palæstram, TILICIANÆ quoq; Professionis Nobilissima Cathedra, & post eam Regia Cathedralis Ecclesiæ Cracouiensis Basilica, cùm alijs Florentissimæ huius Vrbis Sacrarum Ædium Cathedris, quas TV non pacato tantum; sed etiam difficillimo Reipublicæ, Vrbisque huius tempore, summâ cùm laude, populique Christiani insigni emolumento felicissimè adornâsti, & hucusque indefesso labore, salutisque animarum zelo ardentissimo adornare non desistis; præter tot doctissimi calami TVI aurea monumenta Typis vulgata, victùraque Posterorum memoriæ consecrata. Ad extremum, si offerentis quoque conditionem, personamque respicias, à Roxolano, TIBI Roxolanorum Amantissimo, & eiusdem soli lectissimo surculo, fauum omninò deberi recognosces; cùm Russiam nostram, terram promissionis, lacte & melle fluentem, dudùm iam vox communis appellauerit; nisi dulcedo in afflictionem versa, magnitudinem pristinæ felicitatis corrupisset. Omni itaque ex parte, omnique iure, fauus hic, Clarissime, & Admodùm Reuerende Domine, TVVS est, Tibiq; omninò debitus, quem Tibi cum votiuâ cœlestis gratiæ, & diuturnæ felicitatis comprecatione submissè offero; in quo si quid à Musis meis, non iuxta omnem dulcedinis rationem elaboratum est, humanitatis, & beneuolentiæ Tuæ Paterna dulcedo suppleat, me interim pro Tuis, Sacræq; Facultatis Theologicæ felicissimis Incrementis DEVM Opt. Max. immensæ dulcedinis Oceanum, suppliciter exorante.

# FAVVS THEOLOGICVS.

## Fauus diſtillans labia Tua. *Cant.* 4.

### Ode Tric. Tetraſtr.

FAllornè Vates? mellifluos ego
Apum labores, cerno liquentibus
Manare riuis, per ſacratæ
Theologos apices cathedræ.
Non ſola vidit dulciloquos vetus
Ætas Platones, mella tenerrimis
Geſtâſſe labris, & iocantes
Cis puerum volitare turmas
Aculeatæ militiæ Duces,
Sedemque caſti nectaris auream
Infantis elegiſſe, linguam
Et liquidis violâſſe pennis.
En delicatos parturijt quoque
In ore fontes, mellaque roſcidis
Illata nimbis, deſinentis
Canities, ſeniumque mundi.
Gratos volantûm nùm ſitientibus
Apum ſuſurros negligis auribus
Haurire? ſtillanteſque guttas
Ambroſiæ SVLIKOVIANÆ
Negas ocellis Muſa ſagacibus
Spectare? Sacras tolle per exedras
Internæ acumen claritatis;
Cerne Theologico Magiſter
Sententiarum culmine mellei
Vt oris ingens delicium ferat!
Vt eloquenti Quæſtionum
Difficiles reſerando nexus
Suadâ triumphet! dùm MERITI Sacrum
Narrat valorem, donaque gratiæ,
Pioſque ſudores recenſet,
Et pretium ſtupet eminentis
Virtutis ingens, ſeque reconditis
Sententiarum, (more ſacro Patrum)
Parat fodinis, quas diſerto
Per Cathedras reſerabit ore.
Pro! quantus altæ, quam ſapiens breui
Magiſter artis! quando ſacerrimos
Recludet INCARNATIONIS,
Iudicio grauiore fontes,

Secre-

Secretiorium ſenſaque myſtica,
Dulcesque ſuccos pandere dogmatum,
Benigniores æuiterni
Incipietque fauos amoris,
Summique carnis ſub fragili casâ
VERBI latentis, nota recentibus
Mirâcla ſæclis, proferetque
Virgineos ſine labe partus.
Quid? an per altæ pulpita Cracidos,
Ad Buſta Regum, Vauelei iugi,
Laresque Sacratos, Periclis
Sæpius id docuiſſe ritu
TE non frequenti vidimus agmine?
O Cathedrarum delicium! ô piæ
Plebis SVLIKOVI voluptas!
O Latiæ Cynoſura ſuadæ!
Tu literatæ poſt geminos ſophus
Laurûs honores, grande recluſeras
Conclaue pubi TVLLIANVM,
Lechiadûm generoſa tellus,
Quam fudit Orbi; ſeû Tibi pulpita
Domûs minoris, ſeû Tibi maximæ
Domûs, ſenectutis columnæ
Crediderant ſua roſtra Patres.
TE penna ſæclis docta ſequentibus
Narrabit, alti quæ ſolij decus,
Sceptrumque Reginale ſeris,
Totque alios venientis æui
Suadæ labores temporibus dedit;
Quorum ſuäues nunc Theologicum
Tibi cacumen parturit iam
Solſtitio properante fructus.
Hic eminentis conciliat Tibi
Gradus Cathedræ, culmen amabile,
Honosque Doctoralis altos
Ecce ſinus Tibi deſtinato
In colle pandit. Perge igitur Tuæ
Ad dignitatis ſumma cacumina,
Spineta per SENTENTIARVM,
Ad roſeam properato ſummi
Quietem honoris, deque Tuis fauos
Diu labellis, ſparge per Inclytas
Vrbis coronatæ Cathedras,
Flosque Sacræ, ſpeculumque ſuadæ.

SOLI DEO HONOR, ET GLORIA.